DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA ANGINOSA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SCARLATINA ANGINOSA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU; ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS GALBRAITH WRAY,
HIBERNUS,
A. B. TRIN. COL. DUB.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCC V.

VIRO EXIMIO,

JOHANNI CLAUDIO BERESFORD,

DE *ABBE VILLE*,

IN COMITATU *DUBLINIENSI*,

NUPER

MAGNÆ BRITANNIÆ

SENATORI,

VIRTUTIBUS ET OMNIBUS ANIMI DOTIBUS

QUÆ

HOMINEM, PATREM, AMICUM, VEL CIVIM

ORNANT

CONSPICUO,

DE REGE DEQUE PATRIA

OPTIME MERITO,

NECNON LITERARUM SCIENTIA,

CUM HUMANARUM TUM RECONDITARUM,

ORNATISSIMO;

HANC DISSERTATIONEM ACADEMICAM,

CALAMI JUVENILIS PRIMITIAS,

SINCERUM

QUAMVIS PERTENUE

AMICITIÆ ET GRATI ANIMI

TESTIMONIUM,

OFFERT

GULIELMUS GALBRAITH WRAY.

VIRO EXIMIO,

JOHANNI CLAUDIO BERESFORD,

[illegible]

IN COMITATU [illegible]

MAGNÆ BRITANNIÆ

SENATORI,

[illegible]

[illegible]

[illegible]

ORNANT

[illegible]

OPTIME MERITO,

NECNON LITTERARUM SCIENTIA,

CUM HUMANARUM TUM [illegible]

ORNATISSIMO;

HANC DISSERTATIONEM ACADEMICAM

[illegible]

[illegible]

[illegible]

OFFERT

GULIELMUS GALBRAITH WRAY.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA ANGINOSA.

SI vel ad frequentiam hujus morbi epidemicè grassantis, vel ad speciem malignam quam nuperis annis induere solet, animum advertamus, nullum alium esse, qui summam medicorum attentionem meliore jure vindicat, patebit. " Est tamen præter SYDENHAMI " scarlatinam, alia, quæ naturâ suâ etiam vera " maligna dici queat, variis in Europæ plagis " observanda *."

* DE HAEN.

Ex specie admodum diversa quam hic morbus in diversis epidemicis exhibuit, quæ ex ætate et habitu ægri, et ex tempore anni, multùm pendebat, an Scarlatina et Cynanche Maligna genere graduve tantùm discrepant, nosologi litem satis acrem moverunt.

Sententiæ, quæ ponit hos morbos genere omninò differre, FOTHERGILLIUS et CULLENUS accedebant, quorum auctoritas apud omnes multùm semper valebit. Sic habet CULLENUS: "Spatio quadraginta annorum scarlatinam "sexies vel septies in Scotia epidemicam "observavi, et in unoquoque exemplo morbus ulceribus faucium comitatus, vel illius "speciei erat, quam Scarlatinam Anginosam "vocat SAUVAGESIUS."

Alii autem medici summi nominis, inter quos FORDYCE, WITHERING, HEBERDEN, GREGORY, et CURRIE eminent, contrariam opinionem, et optimâ, ut mihi videtur, ratione, amplexi sunt. Argumenta enim validissima allata fuêre quæ morbum sub nomine

Scarlatinæ descriptum, et illum, qui Cynanche Maligna nuncupatur, ad idem genus pertinere luculenter docent.

Morbi certè minimè diversæ naturæ habendi sunt, prout signa graviora vel mitiora fuêre; et sanè nulla differentia inter scarlatinam et cynanchem malignam intercedit, quam non in morbis sub eodem genere, omnium consensu, ordinatis quotidie observatur: hinc utcunque varia fuerint signa quibus typhus gravior et mitior, et præsertim quibus variola confluens et distincta comitatur, nulli sunt medici qui has varietates ejusdem morbi, ad diversa genera distrahere conati sunt. Omnibus quoque optimè innotuit, eosdem morbos, ex eodem contagio planè provenientes, secundum cœli statum, anni tempus, ætatem, sexum, et temperamentum ægri, faciem admodum variam ostendere; et sanè, quod magis adhuc ad rem spectat, Gregorius illustr. hunc morbum in eodem epidemico, et etiam in eadem familia, nunc speciem benignam, nunc maximè malignam, exhibere observa-

vit *; et observata medici peritissimi, infrà citata, idem comprobaverunt: "Ex iis quæ "de febre rubra et angina memorata sunt, "longè verò simillimum videtur, unum eun-"demque morbum, hoc vel illo nomine appel-"latum fuisse, prout indicia alterutra graviùs "incubuerint. De quo etiam id nos facit "certiores, quod ambo unà semper fiunt vul-"gares, atque hæc proculdubio vincet sen-"tentia, modò illud concedatur, cujus, ni "fallor, ipse testis fui, nimirùm inter plures "pueros et puellas, qui, ut sæpè fit, in unis "ædibus correpti sunt, hos febrem rubram, "illos verò anginam fuisse expertos †."

Quoniam igitur, ut ex suprà dictis satis patet, scarlatina et cynanche maligna gradu solummodò differunt, et ex eodem contagio proficisci queant, medicus cautè de natura

* Aud. Prælect. de Med. Pract. in Acad. Edin.

† Heberden, Comment. pag. 25.

morbi statuere debet ; nec quia contagium ex iis morbo mitiore laborantibus acceptum est, alios benignâ quoque specie esse detinendos colligere liceat.

De tempore quo primùm hic morbus comparuit, nil certi statuere possumus. Medici Hispani et Itali, ut ex scriptis patet, eum non omninò ignorare videntur. Exeunte sæculo decimo septimo MORTONIUS hunc morbum sub forma maximè maligna in hac insula observavit; eum autem parùm accuratè ex morbillis distinguit ; et sanè SENNERTUS circa finem sæculi decimi sexti febrem rubram in Germania epidemicè grassantem conspexit ; cum MORTONIO autem in eundem errorem de natura ejus incidit. SYDENHAMUS scarlatinam mitem depinxit ; et hunc subsecutus est FOTHERGILL, qui hujus morbi historiam accuratissimam tradidit. Denique HUXHAM, et alii quoque scriptores præclari, in hac et in cæteris regionibus scarlatinam anginosam luculenter descripserunt.

Omnes varias formas, quas hic morbus diversis temporibus induit, describere, limites hujusmodi opusculis vulgò positos multùm excederet: signa igitur quibus sæpiùs insignitur, hîc tradidisse sat fuerit.

HISTORIA.

Hic morbus usitatis pyrexiæ signis vulgò obrepit; æger enim de languore, horrore, et vertigine conqueritur; quibus dolor acutus capitis, calor auctus, et sensus molestiæ potiùs quàm doloris in faucibus, brevi superveniunt; cervix riget; et nausea, vomitus, et diarrhœa urgent, præsertim in infantibus, qui his signis graviùs plerumque plectuntur; facies turgida est, oculi inflammati et humidi fiunt, iris præter solitum splendet, et pupilla ampliata apparet; summa est corporis jactatio et anxietas. Brevi post mali accessum, tonsillæ, uvula, velum pendulum palati, pars

faucium posterior, et pharynx, quantùm conspici queat, inflammatione correpta apparent.

Aliquando pro rubore, crustæ coloris albidi vel cineritii, nullâ certâ figurâ præditæ, et margine inflammatâ circumscriptæ, circa tonsillas observantur, quæ abrasæ ulcera altè rodentia ostendunt. Lingua speciem peculiarem exhibet ; papillæ enim rubræ factæ, per crustam subflavam vel fuscam, quâ obducuntur, tranflucent : spiritus nunc olet, et sæpè odorem tam fœtidum emittit, ut etiam ægro ipsi ingratissimus evadit ; nonnunquam ægri hoc odore se malè habere primùm sciant.

Secundo ut plurimùm morbi die, tumor coloris purpurei ex facie, ad collum, pectus, brachia, manus et digitos descendit. Si quis colorem peculiarem quo digiti inficiuntur, semel perspexerit, de natura morbi non facilè iterum falli potest. Præter autem hunc ruborem papulæ plurimæ exiguæ, ex partibus vicinis colore magis intenso insignitæ, circa brachia et alias corporis partes comparent :

circa pectus et extremitates maximè conspicuæ sunt. Dum cutis hunc colorem adipiscitur, nausea vulgò cessat; vomitus quoque et diarrhœa post primam morbi diem sæpè decedunt. Quod ad tempus quo eruptio primùm sese ostendit, vel ad durationem ejus attinet, admodum variat; nonnunquam primo morbi die vel etiam paucis horis post primum ejus impetum sese prodit; aliàs tertio, quarto, vel quinto die primùm in conspectum venit. Glandulæ parotides et maxillares duriusculæ fiunt, tument, et tactu dolent; et si morbus gravior fuerit, fauces et collum ita intumescunt ut suffocationem minitentur. Inflammatio interdum ad tracheam usque deducta, cynanchês trachealis signa progignit. Nocte appetente, febris ardentior evadit, et inquietudo augetur; delirium peculiare haud rarò supervenit; ægri enim interrogati, satis accuratè respondent, insolitâ autem celeritate; sibi relicti, aliena indistinctè effutiunt: Plerumque parùm dormiunt: Nonnulli tamen comate et stupore obruti, quæ circum fiunt, parùm advertunt. Mane autem, sudore pro-

rumpente; hæc signa mitiora plerumque evadunt; et æger de summo virium defectu maximè conqueri solet. Per totum mali decursum pulsus ferè semper frequens est et debilis; et nonnunquam centum et octogies in minuto horæ micare observatur. Tonsillæ et uvula ita nonnunquam intumescunt, ut iter ad œsophagum penitùs ferè occludunt; sæpè autem deglutiendi facultas parùm læsa est. Interna narium membrana inflammatione correpta, coloris rubri vel etiam ferè lividi apparet, et sanies acris et tenuis ex his assiduè stillat, quæ sternutationem ciet, et partes vicinas excoriat: Cùm hæc materia acris deglutita est, similem effectum in ventriculum et intestina edit, diarrhœam movet, et anum et partes vicinas erodit. Hæc materia subitò repressa, quosdam infantes suffocavit, ut HUXHAM affirmat; interdum in laryngem et tracheam defertur, quarum frustulæ acrimoniâ ejus erosæ cùm tussi rejiciuntur; interdum in pulmones incumbit, et inflammationem lethalem inducit. Inflammatio nonnunquam, per tubum Eustachianum, ad au-

res delata, hujus organi suppurationem concitet, surditati immedicabili originem daturam.

Cùm morbus per aliquod tempus perstiterit, hæmorrhagiæ ex ore, auribus, vel naribus, subortæ, ægrum haud rarò arripiunt. Has sæpè ex arteriis erosis profluere verisimile est. WILLAN puellæ exemplum memorat, quæ hæmorrhagiæ e naribus ferè succubuit, etsi menses eodem tempore profluebant. Menses, ut FOTHERGILL monet, sæpè brevi post mali accessum prodeunt, etsi tempore insolito, et si morbus adortus est cùm hæ instabant, copiosiùs profunduntur; interdum in iis, qui ex hoc fluxu anteà immunes fuêre, inopinatò erumpunt.

Urina primùm pallida est, morbo autem progrediente, subflava evadit, et in melius verso, turbida fit, et sedimentum copiosè deponit.

Cùm vis morbi inclinata est, alvus, priùs soluta, nunc astricta potiùs evadit; cùm autem catharticis movetur, iterum ad priorem statum redire prona est.

Morbus rarò post nonum diem morte finitur; etiam cùm quintum diem prætergressus est, multò sæpiùs in salutem cedit. Spatio triginta sex horarum mortem nonnunquam infert; vel etiam citiùs, in quibusdam exemplis.

Sub finem morbi cutis squamulas furfuraceas deponit, eò ampliores quò rubor latiùs corpus priùs occupaverat. In nonnullis exemplis, desquamatio eoùsque processit, ut exuviæ partium, ex quibus deciderint, formam retinerent. Tempus desquamationis incertum est. Versarius eam per quadraginta dies durare observavit. Planciz quoque et Withering idem affirmant. Frank desquamationem amplam et profundam, cutem interdum insensilem reddere perhibet. Circa sex septemve dies, ex tempore quo eruptio primùm sese

ostenderit, Planciz manus et pedes pluribus pustulis obsessas, pemphigum referentibus, observavit: accuratiùs autem perspectæ, diversæ apparuerunt; ex cuticula elevata constabant, nullâ autem aquâ repletæ fuêre. Frank quoque pustulas in crustas abeuntes annotavit. Morbo decedente, tumores hydropici in variis partibus suboriuntur; et etiam pectus et caput interdum invadunt.

In cadaveribus horum quibus hic morbus necem intulit perscrutandis, medici parum operis collocârunt.

CAUSÆ.

De imperio quod varii aëris status in scarlatina vel inducenda vel propaganda exerceant, nondum satis constat. Nullum est anni tempus in quo summa cum sævitia interdum gras-

sari non observatur; quò autem magis aspera fuerit cœli tempestas, eò graviùs urget, et latiùs propagatur. Vere et æstate species inflammatoria, autumno et hieme, putrida, sæpiùs incedere solet.

Omnia quæ vires corporis infirmant, et sanitatem labefactant, inter causas quæ homines huic morbo opportunos reddunt, annumerantur; hujusmodi sunt, diæta tenuis et parca, vita sedentaria, animi affectus deprimentes, morbi prægressi, et his similia: Hinc infantes quàm adulti, fœminæ quàm mares, flaccidi et debiles utriusque sexûs, in hunc morbum faciliùs incidunt, et graviùs ægrotant.

Causa quæ scarlatinam excitat, planè contagium est.

DIAGNOSIS.

Etsi hic morbus, in initio, præsertim si mitior fuerit, ex quibusdam exanthematum haud

facilè nonnunquam secerni potest; si autem ad signa quibus maximè definitur, et naturam epidemici regnantis, respiciamus, eum in plerisque exemplis agnoscere haud difficile erit.

In *Rubeola*, papulæ magis discretæ, supra corporis superficiem paullulùm eminent, et manu admotâ, scabrities percipitur; sternutatio quæ aggressionem ejus prænuntiat, et signa catarrhi quibus comitatur, in scarlatina ferè semper desunt.

Ex *Variola* ingruente, colore eruptionis minùs vivido, et dolore ex epigastrio presso, huic morbo ita proprio, satis secernitur.

In *Lepra mercuriali* maculæ, ampliores quàm in scarlatina vel morbillis, profundiùs rubent, et in ulcera brevi abeunt.

Erysipelas, — affectio uno loco contenta, et non contagiosa, saltem in hac regione, ex scarlatina facilè distinguitur.

Angina aphthosa infantum, aphthis linguæ margines, labia, et gingivas obsidentibus, ex scarlatina dignoscitur, in qua tonsillæ, uvula, et velum pendulum palati laborant.

PROGNOSIS.

Antequam judicium de exitu hujus mali proferre liceat, natura epidemici grassantis, ætas ægrotantis, corporis habitus, et signa quæ urgent, accuratè perpendenda sunt.

Cùm ab morbi initio vires maximè deficiunt, pulsus debilis et frequens est, et æger nauseâ gravi, vomitu, et diarrhœâ tentatur; cùm crustæ in faucibus comparentes, livent vel nigrescunt, et delirium perpetuò adest; cùm collum maximè tumet, facies rubore suffusa et turgida, et oculi hebescentes squal-

lent, summum periculum instare jure conficitur. Si, dum hæc signa ingravescunt, subsultus tendinum adest, urina et fæces ægro inscio elabuntur, et facies squalida apparet, nulla medicina ægrum ex morte jam in propinquo eripiet.

Ex contrario, cùm febris mitiùs incedit, vires parùm prostratæ sunt, et cutis colore vividè rubicundo efflorescit; cùm fauces internæ in omni parte æquè rubent, et ulcera, si quæ, minimè serpentia, speciem benignam exhibent, morbum in salutem cessurum esse sperare liceat: et si, sudore leni per universum corpus prorumpente, calor imminuitur, eruptio decedit, et cutis exuvias furfuraceas liberè deponit, pulsus tardus et plenus evadit, dum ægri vires et cibi appetentiam redeuntes sentiunt, vis morbi omninò subacta est.

MEDENDI RATIO.

Hujus morbi curationem duplice præsertim modo aggredere possumus; vel enim in primo impetu eum omninò præcidere, et nexum signorum morbidum abrumpere convenit; vel, si hoc non fieri potest, gangrænæ et debilitatis indiciis occurrere consilium est.

Inter remedia quæ ad illum finem accommodata fuêre, *emetica* omnibus scriptoribus multùm laudata fuêre, Plenciz et Navier exceptis, qui, etsi de hoc morbo curando fusè tractârunt, nullam emeticorum mentionem fecerunt. Emetica, vi, quâ corpus tam vehementer concutiunt, scarlatinæ finem sæpè imponere, medici fide dignissimi testantur; ea autem sine discrimine usurpata, ut Withering solet, nimiam debilitatem inducendo haud parùm sæpè nocere suspicarer; pro ratione enim febris, languor, debilitas, et

inquietudo major est *, et sanè nil vires citiùs infirmat quàm vomitus nimis sæpè repetitus. Emetica autem cautè assumpta ad morbum levandum sæpè maximè valent; his enim nausea multùm sublevari solet, ventriculus contentis nocivis exoneratur, et sudor elicitur, quo natura semet ex calore nimio expedire consuevit; his quoque sordes quibus fauces oppletæ fuerant, rejiciuntur, et partes subjectæ ad actionem saniorem incitantur.

Aliud autem et validissimum auxilium (quod nomen *specifici* ferè meretur) contra hunc morbum allatum est, nimirùm, *affusio frigida*, quam in febre pura, et etiam in febribus eruptivis, Doctor WRIGHT primus in usum revocavit, et Doctor CURRIE rem feliciter prosecutus, maximam laudem meritò adeptus est. In nullo alio morbo quàm in scarlatina, commoda quæ ex hoc remedio profluunt magis conspicua fuêre, vel enim

---

* HEBERDEN, Comment. p. 26.

pro præsidio contra mali accessum, vel ad morbum jam inceptum summovendum, omnibus aliis longè præstare videtur; et hoc remedium eò magis æstimandum est, quippè infantes qui scarlatinæ maximè obnoxii sunt, medicamenta interna ferè respuunt, et ex hâc causâ sæpè pereunt. Beneficia quæ ex hoc remedio oriuntur, Doctores CURRIE et GREGORY, qui effectus ejus in suos liberos primùm experti sunt, ultra dubium comprobaverunt. Affusio aquæ frigidæ minimè usurpanda est, cùm sensus horroris adest, cùm perspiratio ulla generalis vel copiosa observatur, et cùm calor corporis supra gradum solitum non fixus est.

In nullo alio morbo corporis calor, ac in scarlatina ita vehemens est. Doctor CURRIE eum gradum centum et duodecimum attigisse affirmat, quod nusquam alibi observavit: hoc tempore strenuè agendum est, hoc enim cardine ægri vita sæpè versatur: ad affusionem igitur iterum atque iterum confugiendum est, donec calor febrilis remiserit: eam

decies vel etiam duodecies unius diei spatio iterare nonnunquam necessarium est. Cùm hoc modo vis febris imminuta fuerit, quædam affusiones tepidæ, longioribus interpositis intervallis, morbum omninò profligare valent. Febre evictâ, languor remanet, sudor copiosus profluit, (quod morbi decedentis signum omnes ferè de scarlatina scriptores habent), et ægri in somnum altum incidunt, quo natura ad vires morbo exhaustas reficiendas plerumque utitur. Si ægri ipsi vel parentes affusionem, vel frigidam vel tepidam, experiri reformidant, aëri frigido benè renovato liberè exponendi sunt; qui, ut Doctor JOHNSON monet, æquè in scarlatina ac in variola prodesse solet.

Sanguinis detractionem auctores ferè omnes improbant, etsi in adolescentibus robustis et plethoricis, in quibus sanguis nimio impetu ad cerebrum deferri videtur, cum beneficio topicè uti potest *. Hirudines faucibus ex-

* Audi GREGORII prælect. de Med. Pract. in Acad. Edin.

ternis admotæ, ad tumorem et inflammationem harum partium removendam sæpè utiles fiunt.

Cathartica in scarlatina usurpata potiùs nocere videntur; quodcunque enim diarrhœam movere potest, periculo non caret: irritationi autem quæ ex alvo astricta provenit, laxantibus mitioribus, vel enematis occurrendum est.

Debilitatis et gangrænæ indicia *cinchonâ*, *vino*, et *acidis* debellanda sunt; quorum doses, prout hæc plùs minùs urgeant, augendæ sunt. In infantibus, qui rarò medicamenta per os assumere possunt, et præsertim in hoc morbo ex dolore faucium et difficultate devorandi, cinchona, sub forma enematis, ab inferioribus infundi potest. Hoc quoque remedium cum acido sulphurico conjunctum, sæpè magis valet.

Diaphoretica raro utilia sunt; si autem sudor eliciendus est, diaphoreticis mitioribus

fieri debet; periculum enim est ne justo copiosiùs profluens, debilitatem nimis adaugeat.

Diuretica à WITHERING in hoc morbo usui commendata fuêre.

Gargarismata semper prosunt; in infantibus ope siphunculæ injicienda sunt, et curandum est ut iterum rejiciantur. Gargarisma commune ex infuso rosarum cum acido sulphurico, vel ex vino rubro probè diluto, constat. In gravioribus morbi exemplis, ubi fauces insensiles evadunt, et ulcera maligna, infusum capsici pro gargarismate optimè convenit: et etiam ex vi antiseptica et detergente internè cùm beneficio assumi potest, in iis morbi exemplis ubi vires maximè prosternuntur.

Epispastica, etsi medicis quibusdam dignioribus laudata, in scarlatina ad putredinem sæpè vergente, remedia dubia saltem sunt; sed multùm pendebit ex statu morbi, cui remedia accommodare medici periti est.

Aqua frigida, vel pura vel acidis commixta, pro *potu* liberè concedi potest; lac quoque ebutyratum, cerevisia tenuis, pomaceum, et præsertim fructus maturi, cum beneficio usurpantur. Diæta levis, concoctu facilis, et nutriens, esse debet, ut *sago*, &c. Si alvus his suprà traditis nimis soluta fuerit, deponenda sunt. Si post morbum depulsum, ægri de somno turbato conqueruntur, opiata, cum modico vini et cinchonæ usu, adhiberi possunt.

Cùm signa hydropis, quæ huic morbo supervenire solent, catharticis vel diureticis solitis depulsa fuêre, vires adhuc infirmæ, cinchonâ, ferro, vino, et diætâ generosâ, brevi plerumque restituuntur.

FINIS.